



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GANDHINAGARENSIS*** PROVINCIAM
ECCLESIASTICAM GANDHINAGARENSIS

APPELLANDA IN INDIA CONDITUR Dilecta in Indiae terra Christiani fideles commorantes diligentiore usque ratione salutiferas veritates contemplari conantur cotidianaque in vita Christi exemplum prosequi. Nos qui de spiritali omnium fidelium progressionem solliciti sumus, nunc de pastoralibus ecclesiarum communitatum in India necessitatibus cogitamus atque ad earum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Itaque quorum interest cognitissimis sententiis, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra usi potestate, a dioecesi Ahmedabadensi distrahimus civiles districtus v.d. *Gandhinagar, Mehasana, Patan, Banaskantha et Sabarkantha* atque ex iis archidioecesim metropolitanam condimus, factis iuribus et privilegiis quibus ceterae metropolitanae Ecclesiae ad normam iuris communis gaudent, novamque provinciam ecclesiasticam *Gandhinagarensis* appellandam, cuique dioeceses Ahmedabadensis, Barodensis et Raikotensis, a sede metropolitana Bombayensi detractae, erunt suffraganeae. Novam provinciam ecclesiasticam iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam constituimus. Cathedrale templum archidioecesis Gandhinagarensis in sacra illa aede Sacratissimo Cordi Iesu et Dominae nostrae Reginae Mundi dicata, in urbe v.d. *Gandhinagar* sita, instituimus. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Laurentium Baldisseri deputamus, Archiepiscopum titulo Diocletianensem atque in India Apostolicum Nuntium, facta videlicet facultate aliquem aptum virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undecimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo altero, Pontificatus Nostris vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

Secretarius Status

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 3, pp. 164-165 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana